



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

113. Quidam mandavit Petro, ut occideret Caium, non præcogitando
aliquid de morte Petri, & verisimiliter credere poterat non esse
sequuturam; quia Caius longè debilior erat Petro. Accidit verò, his ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

distinção nulla apud nos est, ubi eadem paria reputantur. Itaque si ex modo copulæ, & fœminæ debilitate, aliique circumstantiis potuit, & debuit suspicari periculum abortus, illique ut fœus indulgeret intemperantiæ se exposuit, consequuto deinde homicidio, reus illius est contra quintum Decalogi præceptum, & fit irregularis, siue maritus, siue adulter fuerit.

7. Nota tertio, qui fœminam ad se venire iubet per tecta, aliavè loca periculosa, unde imprudens sibi mortem conscivit, aut si prægnans erat, fœtum exculsit, non fit irregularis, quia iste siue Clericus, siue laicus (malè enim DD. aliqui solita ista distinctione utuntur hoc loco) non consuluit huic mulieri, ut se ipsam occidat, ut abortiat, neque ut causam necessariam connexam cum abortu, aut suo interitu suscipiat, quamvis aliquod periculum sit quod tamen vitare poterit, si ipsa caute, & prudenter se gerat: quare sibi imputet si sua culpa aut peccat, aut abortiat, non tamen amarius, à quo invitata fuerat, dicitur propriè, & verè illius, aut fœtus ipsius homicidia ad effectum irregularitatis, cum revera illud homicidium non consulerit, si tamen ipse secum traheret fœminam aut funem tenderet, aut explanandum iter suscepisset, aut removenda offendicula, quæ occurrerent, aut facilem transitum dixisset, unde illa credula incautus se gessisset, aut non adfuisse amarius ad horam conditam, ut opem ferret, illaque vel se delusam suspicata, vel metu exterrita concedisset, existimarem hunc esse irregularem, non ratione consilij veniendi per ejusmodi iter periculosum, sed quia ejus casui, cædi, aut abortioni re ipsa fuisset cooperatus.

RESOL. CXII.

An quis incurrat irregularitatem, quando alteri consilium dedit, ut verbi gratia intraret duellum vel occideret inimicum, & is, cui dedit consilium, occisus est?

Item dicendum est de mutilatione. Ex part. 4. tract. 2. Ref. 12.

§. 1. Casus potest esse frequens, & affirmativam sententiam docet Suarez de censur. disp. 44. sect. 3. num. 78. à qua nec speculative, nec practice putat esse recedendum. Idè tenent Navarrus & Coninch penes Hurtadum ubi infra, quibus adde Petrum Cornejo in 3. part. D. Thom. tract. 5. de irregul. disp. 1. dub. 2. q. 2. n. 3. Avilam de censur. part. 7. disp. 6. sect. 2. dub. 3. conclus. 4. Sayrum lib. 7. c. 3. n. 3. Villalobos in sum. tom. 1. tract. 2. 1. diff. 20. n. 10. ubi sic ait: [El que aconsejó, o mandó à uno que matasse à otro y sucedió al reves que otro le mató a el queda irregular, la razón es porque asì como el que aconseja à otro que se mate si guiendose el efecto queda irregular, asì tambien el que injustamente pone à peligro de muerte, porque en cosas morales lo mismo es hazer y ponerse à peligro de hazer; luego lo mismo se ha de dezir de aconsejar y mandar.] Ita ille.

2. Sed contrariam sententiam ut probabilem novissimè tuerit Turrius de cens. lib. 9. disp. 63. dub. 4. ubi adducendo plures rationes pro hac firmanda sententia, eandem sic ait: Novi viros doctissimos hujus ætatis qui hanc sententiam ut veram sequuti sunt, alij qui ut acutam & probabilem laudarunt, & mihi videtur satis probabilis. Ita ille, & post illum hanc opinionem docet etiam doctus Hurtado disp. 2. de irregul. diff. 6. n. 2. ubi sic ait: Adde contra Navarrum & Coninch, qui mandantem, aut consulentem aliquem ut occideret alium (& idem est de mutilatione) non esse irregularem adhuc ex homicidio casuali, etiamsi mandatarius,

aut consultarius, seu consilium accipiens occidatur ab altero, quem invadit quia in jure non est lata irregularitas nisi ob mandatum, aut consilium, quod quis mandat aut consulit aliquem ut vel seipsum, vel alterum occidat sequuto effectu. In præsentem autem casum irregularitas non incurritur, nec consultarius, nec mandatarius, sed aliter: sicut nec mandatarius, aut consultarius seipsum occidit (quamvis constituitur in occasione & periculo ut occidatur ab altero, & ob id peccat contra fortitudinem, quando id timet prudenter, quia verè non apponit causam ex se ordinatam ad homicidium, & independentem à voluntate aliena, quod erat necessarium ut diceretur seipsum occidere. Hæc omnia Hurtado. Sed sciat etiam Lector hanc sententiam ante Turrianum & Hurtadum docuisse sapientissimum Vasquez in 1. 2. tom. 1. disp. 100. q. 73. art. 9. dub. 3. n. 45. ita asserentem: Qui alteri suaderet furtum ex quo scit illum puniendum pena mortis, non incurreret irregularitatem, quia non fuit causa homicidij irregularitas verò non est in jure inflicta propter consilium, quo quis alterum movet, ut se morti offerat, sed propter consilium, quo quis movet aliquem ad occidendum alium, aut etiam seipsum, quia est consilium directè tendens ad occisionem ipsam, tamen si in opinione positum sit, utrum seipsum occidere sit contra fortitudinem, aut contra justitiam: consilium autem traditum ei, qui occiditur, quod non tendit ad mortem nisi ratione periculi, quod incaute aggreditur, non videtur in jure prohibitum, nec is dicitur homicida præse & propriè in jure ad effectum irregularitatis, sed ille solum qui consilium præbet occidendi aut seipsum, aut alterum. Ita ille, qui apud me instat multorum est. Vide etiam Henric. lib. 14. c. 16. n. 1. qui eandem sententiam docet, quam etiam novissimè probat Præposit. in p. 3. q. 5. de irregul. dub. 10. n. 78. Vnde hæc opinio satis probabilis remanet adversus Suarez. Sed tu ne discedas à prima opinione tanquam probabiliori & tutiori, quia iste ut est vera causa moralis, incurrit irregularitatem hujus speciei: si verò non intendebat ejus mortem, incurreret irregularitatem homicidij casualis.

RESOL. CXIII.

Quidam mandavit Petro, ut occideret Caium, non cogitando aliquid de morte Petri, & verisimiliter credere poterat non esse sequuturam, quia Caius longe debilior erat Petro.

Accidit vero, his non obstantibus, quod Caius occidit Petrum. Interrogatus fuit, an mandans incurreret irregularitatem, ita ut non possit amplius ministrare, quia jam erat sacris Ordinibus initiatus? Et an in dicto casu Episcopus possit dispensare, virtute Concilij Tridentini sess. 24. c. 6. Ex par. 2. tract. 15. & Misc. 1. Ref. 17.

§. 1. Respondi, communiter DD. contra mandantem respondere, asserunt enim, in irregularitatem incurrisse, teste Bonac. ubi infra. Ita Sayrus de cens. lib. 7. cap. 2. num. 12. Reginald. in praxi, tom. 2. lib. 30. tract. 2. cap. 11. sect. 1. n. 126. Navar. Cov. Artila, Tabiena, Sylvester, Maiolus, Vival, Summa Confess. Ygolin. & alij. Probatur, ait Tabiena, ver. irregularitas 2. §. 12. quia fuit in culpa, & hoc evenire potest, debuit cogitare.

2. At mihi contraria opinio Henriquez lib. 4. capite 16. num. 1. lit. K. probabilis videtur, sicut etiam probabilis, visa est Bonaciaz de censur. disp. 7. quest. 4. punct. 7. num. 17. Imò, & Avila de censur. part. 7. disp. 6. conclus. 4. stat pro nostra sententia; nam contra Sylvium.

med. & in tom. 3. tr. 5. ref. 91. §. Sed ego, ad med. a ref. 20. it. regularitatem incurrit.

Sup hoc legè doctrin. ref. præterita, & si placet etiam ref. ejus primæ not. & signanter in fin. ref. seq. & in to. 3. tr. 5. ref. 91. §. Sed ego, ad med. a ref. an irregularitatem.

& Panormitanum admittit quandam limitationem Innocentii, & Hostiensis: scilicet quod opinio contraria, quam ipse Avila tenet, etiam adversus Henriquez, solum procedat, quando erat verisimile, quod Petrus occidi poterat à Caio invadendo, ut qui erat longè debilius Caio, vel quid simile; quæ quidem circumstantia non adest in casu, de quo loquimur, imò eorum contrarium, nam Caius invadendus, erat debilius Petro.

3. Ex his omnibus putavi dictum consulentem non incurrere irregularitatem, sed quia scrupulis agebatur, ad maiorem conscientiae suae tranquillitatem consului, ut dispensationem ab Episcopo obtineret, virtute Concilii Tridentini *sess. 24. cap. 6.* qui dat illi auctoritatem; ut possit dispensare in irregularitate ex homicidio casuali occulto proveniente. Sed ista irregularitas de qua loquimur, provenit ex homicidio casuali, ut notat Filiuc. in *99. moral. tom. 1. tract. 20. cap. 2. num. 36.* & Suarez de *confess. d. spirit. 44. sect. 3. n. 16.* quia nemo directè intendit homicidium ejus, cui mandat, ut alium occidat. Indirectè igitur tantum imputabitur, & ideo casualis occisio erit, & irregularitas ex homicidio casuali, ergo poterit Episcopus circa illam dispensare.

Sup. hoc in
tom. 3. n. 3
Ref. 45.

RESOL. CXIV.

An mandans homicidium ad evitandam irregularitatem non solum teneatur revocare mandatum, sed monere occidendum, ut caveat; & quid de consulente?

Et quid, si bona fide consulens putabat sufficere tantum revocationem solam, an erit irregularis, si homicidium sequatur?

Et notatur, quod si mandatarius occidatur, mandantem manere irregularem. Ex part. 4. tractat. 2. Refol. 14.

Quamvis
non plene
sup. hoc, sed
tantum pro
restitutione
in hoc casu
in ro. 8. n. 5
dij. ref.
86. & 87.
signanter in
ref. & vult
not. seq.

§. 1. **A**ffirmativam sententiam docet Petrus Cornejo in 3. part. D. Thomae tract. 5. de irregul. *disp. 1. dub. 2. quest. 2. numero 2.* Turrianus de *confess. lib. 7. disp. 63. dub. 3.* & Hurtado *disp. 2. de irregul. disp. 6. num. 24.* Ratio est, quia ipse suo mandato in eo periculo constituit occidendum; ergo si non potest efficaciter revocare mandatum, tenetur monere illum ut caveat, & ita hi Doctores asserunt de consulente.

2. Sed mihi contraria sententia probabilior videtur, quam tuerentur DD. quos citat, & sequitur Stephanus de Avila *part. 7. disp. 6. sect. 2. dub. 4. concl. 3.* ubi sic ait; Qui consulit homicidium, ut liberetur ab irregularitate debet officius revocare consilium, quam mandatum, quia in mandato agitur res mandantis, in consilio verò agitur res ipsius consulti; unde consulens debet conari precibus importunis, ne consilium mandetur executioni, quod si non firmiter credat preces profuturas, debet indicare occidendo in particulari, vel in generali ad arbitrium viri prudentis ut caveat: at verò mandans non tenetur monere. Ita Avila & ante illum Henricus *lib. 14. cap. 16. n. 2.* ubi sic asserit: Curat mandans persuadere mandatario, ut omnino desistat, sed quia ille non agit nisi in gratiam mandantis, satis est huic intimasse revocationem mandati, nec tenetur monere eum, qui petiatur ut caveat, ut tenetur qui dedit consilium. Hæc Henriquez. Est igitur magna differentia inter mandantem & consulentem in tali casu, & ideo optimè Villalobos in *summa tom. 1. tr. 21. diff. 20 n. 7.* advertit, [que no basta para evitar la irregularidad revocar el Consejo antes de la muerte; que si de hecho se sigue la muerte en virtud del Consejo toda via quedaria irregular el que lo dio, que en esto ay grande

differentia del mandato al Consejo; porque en el mandato aquel a quien se manda siempre esta pendiente de la voluntad del que se lo mandó en virtud de la qual obra: lo qual no acontece en el Consejo, por en enseñar al entendiemento, y hecho esto no pende de la voluntad del que le aconsejó y así para evitar la irregularidad es menester disuadirle.

3. Non desinam tamen in gratiam studiosorum hic adnotare Præpositum in 3. part. 9. 5. de irregul. *dub. 8. n. 1.* num. 62. & 64. Petrum Navarra *lib. 3. de rescript. cap. 4. dub. 1. num. 26.* nullam agnoscere differentiam inter mandantem, & consulentem, & docere in nostro casu per se sufficere, revocare mandatum, & consilium, sic enim propriè Navarra asserit. Tertiò notandum quod antequam mandans qui iustus est & consilium accipit opus exequatur, jubens, & consulens revocet mandatum & consilium, si sequatur damnum, non tenetur imperans, vel consulens restituere; quia tunc actio iniusta non procedit ex eo consilio, sed imperio, sed alterius malitiæ imputatur sicut totali causæ. Vnde in iure immunis est ab irregularitate qui cum mandasset, vel consuleret Clericum occidi, ante factum revocavit, & dissuadere conatus est. Ita ille, cujus sententiam probabilem putat Lessius *lib. 2. cap. 13. dub. 3. numero 17. & 18.* ut notat Coninch de *Sacram. disputat. 14. dub. 1. numero 177.*

4. Notandum est tamen hic obiter quod si bona fide consulens putavit sufficere tantum revocationem solam, non erit irregularis, etiam si sequatur homicidium. Ita Sayrus *lib. 7. cap. 3. n. 6.* Petrus Cornejo in 3. part. D. Thomae tract. 5. de irregul. *disp. 1. dub. 2. q. 2. num. 4.* qui etiam *quest. 1. num. 4.* rectè notat, quod si mandatarius occidatur, mandantem manere irregularem, non tamen quidem irregularitate homicidii voluntarii, sed casualis, scilicet, si voluntarii indirectè, quia mandans non intendit mortem mandatarii, neque ad eam directè operatur, sed solum indirectè in quantum dando operam rei illicitæ cogitare debuerat talem rem contingere posse, ut infra dicemus.

RESOL. CXV.

An qui homicidium suo nomine factum postea tamen habuit incurrat irregularitatem? Ex part. 4. tractat. 2. Refol. 13.

§. 1. **I**ncurrere mordicus sustinet Molina de *justitia* *tom. 4. tract. 3. disp. 33. membr. 4.* Sylvester de *homicidio 1. quest. 7.* Majolus de *irregul. lib. 5. cap. 48.* & multi Iurisperiti, quia, secundum regulam juris, rati habitio mandato comparatur. Sed ex mandato homicidii incurritur irregularitas; ergo, &c. & hanc sententiam tanquam communem docet etiam Fernandez in *medulla part. 2. cap. 10. §. 14. n. 11.* ubi citat Speculatorem, Archidiaconum, Boich, Sylvest. & Rosel.

2. Sed prorsus contrariam sententiam tenendum esse puto, quam tenuit Vasquez in *tract. manuscripto de irregular. ut notat & sequitur Præpositus in 3. part. 9. 5. de irregul. dub. 8. num. 66.* Turrianus de *confess. lib. 7. disp. 63. dub. 3.* Hurtado *disp. 2. de irregul. diff. 7. n. 5.* Petrus Cornejo in 3. part. tract. 5. de irregul. *disp. 1. dub. 2. quest. 3. num. 3.* Coninch de *Sacrament. disp. 18. dub. 8. num. 72.* Suarez de *confess. disp. 44. sect. 3. n. 24.* Avila *part. 2. disp. 6. sect. 2. dub. 6.* Henriquez *lib. 14. cap. 16. num. 2.* Villalobos *tom. 1. tr. 21. diff. 20 n. 12.* Megala in 3. part. *lib. 7. cap. 2. quest. 9. num. 85.* Layman *scilicet 5. tract. 3. part. 3. cap. 4. num. 6.* ponit illud jam factum: sed ista irregularitas infligitur contra eos, qui sunt